Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

N ante O

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

Niphe,es, νίφη, Vna ex comitibus Dianæ, à niveo candore appellata. Ovid. 3. Metamorph. Excipiunt laticem Nipheq́;, Hyaniſq́;, Rhaniſq́;.

Nipſa, Νίψα, Thraciæ oppidum: cujus incolæ dicuntur Nipſæi, Νιψαῖοι, Stephanus.

Nireus, Νιρεύς, Charopi & Aglaiæ filius, Græcorum omnium formoſiſſimus, quemadmodum Therſites omnium maximè deformis, Ovidius libro 4. de Ponto: Tam mala Therſiten prohibebat forma latêre, Quàm pulchra Nireus conſpiciendus erat.

Niſa, æ, Νίσα, Oppidum Siciliæ, cujus meminit Thucydid. libro 3. ❡ Eſt & nomen puellæ ruſticę apud Virgil. in Pharmaceutria.

Niſæa, Νισαία, Oppidum in ſinu Megarico, ubi Megarenſium erant navalia, teſte Thucyd. lib. 2. ❡ Eſt item Niſæa, Parthyenes regio, cujus caput fuit Alexandropolis ab Alexandro cõditore ita appellata. Vide Plin. lib. 6. cap. 26. Hæc regio præſtantiſſimos alebat equos, qui ab ea Niſęi appellabantur, teſte Strab. lib. 11.

Niſæa. (quod hic pro Nymphæ nomine corruptè legebatur.) Vide NESARA.

Niſibis, Νίσιβις, Oppidum eſt Arbelitidis, quæ eſt regio Syriæ propinqua, in qua Alexander Darium ſuperavit, alio nomine Mygdonia appellata. Niſibim autem Antiochus fertur condidiſſe, & à nomine ſuo Antiochiam appellaſſe. Vide Plin. lib. 6. capite 13.

Niſſa, æ, Νῖσσα, Bœotiæ oppidum eſt, apud Hom. in Catalogo navium.

Niſus, Νῖσος, Nomen regis Megarenſium, qui (ut in fabulis fertur) à Scylla filia ſua fatali capillo ſpoliatus, in avem ſui nominis converſus fuit. Virg. 1. Georg. Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus. ❡ Fuit & alius hoc nomine, Hyrtaci filius, indiſſolubili amicitiæ vinculo Euryalo conjunctus, ut ſatis copioſè deſcribit Virg. lib. 9. Aen.

Niſyros. penultima producta, Νίσυρος Homero, Inſula eſt in mari Carpathio, una Sporadũ: quam Poëtæ fabulantur olim Coo adhæſiſſe, Neptuniq́; ſceptro inde fuiſſe avulſam. Vide Strab. lib. 10.

Nitrites Nomos, Νιτριώτης νομὸς Straboni, præfectura eſt in ea parte Aegypti, quæ eſt ſupra Memphim, nomen habens à duabus nitrariis, quæ plurimum ferunt nitri. Vide Plin. lib. 4. cap. 9. & Strab. lib. 16.

Noa, Syenitarum oppidum eſt ad Nilum fluvium, teſte Plin. lib. 6. cap. 29.

Noæ, Νόαι, Vrbs Siciliæ. Gentile Noæus, Steph.

Noas, Νόας, Thraciæ fluvius eſt, ex Hæmo monte naſcens, & in Iſtrum influens. Autor. Herod. lib. 2.

Nodinus. pen. prod. Deus quem divus Auguſt. in lib. de Civ. Dei, ex Varrone ſcribit cultũ fuiſſe à veteribus Romanis, putantibus Proſerpinam frumentis præpoſitam germinantibus & proſerpentibus: geniculis verò, nodiſq́; culmorum, deum Nodinum: involucris autem illis folliculorum, deam Volutinam: quum folliculi pateſcunt, quò exeat ſpica, deam Patelenam: quum ſegetes nova ariſtis exæquantur, Hoſtilinã deam: quia hoſtire ac hoſtimentum veteribus exæquationem ſignificabat. Floram quoque adjicit, & Lactucinam, & Matutam, quæ florentibus, lacteſcentibuſq́; ac matureſcentibus præſint frumentis.

Noega, Oppidum eſt Hiſpaniæ Tarraconenſis, in tractu Aſturum in peninſula Peſici, Autor Plin. lib. 2. cap. 20.

Noemagus, Vide NEOMAGVS.

Nola, Νῶλα Ptolemæo, Campaniæ urbs mediterranea, quam Virgil. ob aquam ſibi denegatam è carmine ſuo eraſiſſe dicitur. Hanc prius Sidicinum fuiſſe dictam ſcribit Plin. libro 3. capite 5.

Nomades dum, Νομάδες, Africæ populi inter Zeugitanam regionem, & Mauritaniam ſiti, qui poſtea literis aliquot mutatis Numidæ appellati ſunt. Hos ſcribit Saluſtius ex Perſis ortum traxiſſe, qui Herculem in Hiſpaniam ſunt comitati: eoq́; mortuo, in Africam trajeciſſe, locaq́; occupaſſe Oceano proxima, alveoſq́; navium inverſos pro tuguriis habuiſſe: deinde paulatim per connubia ſibi Getulos miſcuiſſe: poſteaq́; Numidiæ nomo propter multitudinem à parentibus digreſſos, poſſediſſe ea loca, quæ proximè Carthaginem Numidia appellatur. Hæc ille. Dicti autem ſunt Nomades ἀπὸ τῶ νέμειν: hoc eſt, à paſcendo, quòd paſtionibus præcipuè vacarẽt, herbiſq́; uno in loco depaſtis, papiliones ſuos curribus aliò tranſveherent. ❡ Sunt & alii Nomades in Scythia ſupra Mæotim, Agathyrſis & Baſilidis finitimi, quorum meminit Plinius lib. 4. cap. 12.

Nomæi, Νομαῖοι, Populi qui poſtea Scythæ dicti ſunt, Stephanus.

Nomba, Νόμβα, Vrbs Iudææ. Gentile, Nombæus, Stephan. ex Ioſepho.

Nomentum. [Νωμεντὸς Stephano: Vulgò *Lamentana*. Ger. Ein Statt im Römerlandt.] Oppidum in Latio, non procul ab Roma. Mart. lib. 13: Si vicina tibi Nomento rura coluntur. ❡ Hinc Nomentana via Romæ, qua itur Nomentum: & Nomentani, Νωμεντανοί, qui Nomentum habitant. Dictum Nomentũ à Nomento conditore.

Nomius, Νόμιος, Dictus eſt Apollo, quaſi paſtor, ſive quòd cœlo exulans (ut fabulantur poëtę) Admeti regis pecus paverit: ſive (ut ſe habet res) quòd Solis calore omnia hęc inferiora paſcantur & vegetentur.

Nona, æ, Vna ex Parcis. Latini Nonam, Decimam, & Mortam, Parcas dixêre: quòd tempeſtivũ tempus partus ſit & nono & decimo menſe: qui verò ante hoc tempus in lucem producuntur, aut mortui naſcantur, aut paulò pòſt moriantur. Vide ea quæ annotavimus in dictione Morta: & quæ ea de re ſcripta ſunt apud Gell. lib. 3. cap. 16.

Nonacris, pen. corr. Νώνακρις, Plin. lib. 4. cap. 6. Mons eſt Arcadiæ: aut (ut alii malunt) regiũcula montoſa, cum oppido ejuſdem nominis. Vitruv. lib. 8. cap. 3: Eſt in Arcadia Nonacris nominata, quæ habet in mõtibus ſtillantes ex ſaxo frigidiſſimos humores. Hæc autem aqua, Στυγὸς ὕδωρ appellatur, quam neq́; argenteum, neq́; æneum, neq́; ferreũ vas poteſt ſuſtinere, ſed diſſilit ac diſſipatur: conſervare autem eam & continere, niſi ungula mulina nil poteſt.

Nonacrius, cria, crium, Νωνακριάδης, Νωνακρίνης, Νωνακριάτης. Ovidius in Faſt. Et matri, & vati paret Nonacrius heros. ❡ Item Nonacrinus, crina, num. Idem: Quid fuit aſperius Nonacrina Atalanta?

Nonymna, Νώνυμνα, Vrbs Siciliæ, civis Nonymnæus, Stephanus.

Norba, Cæſarea, Luſitanię urbs, Ptolemæo, lib. 2. cap. 5. Vulgò *Alcantara*.

Noricum, pen. corr. [Νωρικόν. Ger. Das Beyerlandt mit ſampt Inthal. Pol. *Bawarska ziemia*. Vng. *Bavaria*.] Regio eſt Germaniæ habens ab Occaſu Aenum fluvium, qui medius eſt inter Vindelicos & Noricos: à Septẽtrione Danubium: ab Ortu Solis montem Cecium, qui Pannoniam ſuperiorem diſterminat à Norico: à Meridie mõtem Curvancam, qui eſt ſuper Iſtrum. Eam nunc regionem bona ex parte *Bavariam* appellant. Sunt qui vulgò *Stiria & Carinthia* vocent.

Noricus, a, um. Νωρικός. Horat. lib. 1. Carm. –quas neq; Noricus Deterret enſis. Virg. 3. Georg. Tum ſciat aërias Alpes & Norica ſiquis Caſtella in tumulis, *&c.*

Normannia, Regio Galliæ ultra Sequanam flumen, quæ à Carolo Magno devicta, fidem Chriſtianam ſuſcepit: ita dicta à Normannis Cimbricæ Cherroneſi populis, qui eam regionem occuparunt. Normanniæ aũt nomen, Germanorũ procuIdubio vocabulum eſt, qui Nort/Septentrionem appellant, & Man/virum. A' Cęſare totus ille tractus inter Armoricas civitates numeratur.

Norvegia, Regio in Europa, Septentrionalis, verſus Oceanum Germanicum ſita, ſub imperio regis Danorum. Vulgò *Norvega*.

Noſcopion, Νοσκόπιον, Lyciæ urbs eſt, apud Plin. lib. 5. cap. 27.

Noſora, Νόσωρα, Inſula eſt maris rubri, teſte Stephano: cujus incolæ dicuntur Noſoreni.

Notium, Νότιον, Oppidum eſt Ioniæ nõ procul à Colophone: cujus meminit Plin. lib. 5. cap. 29. ❡ Eſt item Notium Calydnes inſulæ oppidum. Idem lib. 5. cap. 31: Calydne inſula cum tribus oppidis, Notio, Niſyro, Mendeterro. Vulgò *Cabo de Nar.*

Notium mare, Νότιον πέλαγος, A' Græcis dicitur ea maris Mediterranei pars, quæ eſt inter Liguſticũ & Siculum: alio nomine à Tuſcia, quam alluit, Tuſcum appellatum. Plin. lib. 3. cap. 5: A' Liguſtico uſq; ad Siciliam inſulam, Tuſcum: quod ex Græcis alii *Notium*, alii *Tyrrhenum*, è noſtris plurimi *Inferum* vocant.

Notus, ti. [Νότος. Gall. *Le vent de Midi*. Ital. *Auſtro*. Ger. Der Sudwind/ Wind von Mittag. Fland. *Zuyden*. Hiſp. *Viento de medio dia*. Pol. *Wiatr polyduiowi*. Vng. *Deli ƺel*. Ang. *The ſouth wind*.] Ventus Meridionalis, quem nos *Auſtrum* appellamus: ita dictus ἀπὸ τῆ νότου: hoc eſt, ab humiditate.

Notius, a, um, Νότιος, Idem quod Auſtralis, & humidus. Nam Græci νότον vocant, quem nos *Auſtrum*.

Novi Mœnia, νέον τεῖχος, Sarmatiæ urbs in Europa, Ptolem. lib. 3. cap. 5. Hodie *Album Caſtrum* appellant. Stephanus quoq́; ejuſdem nominis urbẽ in Aeolide conſtituit, cujus cives Neotichitas ait appellari. Vulgò Weiſſenburg.

Novanus, ni, Fluvius eſt in agro Pitinate trans Apenninum, qui æſtivis ſolſtitiis ſupra modum augetur, & circa brumam ſiccatur. Vide Plin. lib. 2. cap. 103.

Novaria, Oppidum eſt Italiæ in tractu trãſpadano: cujus meminit Plin. lib. 3. cap. 17. Vulgò *Novara*.

Novellius Torquatus, Mediolanenſis quidam fuit temporibus Tiberii Cæſaris, qui geſtis honoribus è Prætura ad Proconſulatum

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

conſulatum uſq; pervenit. Hic Tricongius cognominatus eſt, quòd tres congios vini uno impetu epotaverit, adeoq; ſiccaverit, ut nihil proſſus reliquerit quod ad pavimentum poſſet elidi. Autor Plin. lib. 14. cap. 22.

Novem viæ, ἐννέα ὁδοὶ Stephano, Civitas Thraciæ, quæ & Amphipolis, ἀμφίπολις dicitur.

Novium, νούιον, Tarraconenſis Hiſpaniæ urbs, in tractu Artabrorum non procul à Nerio promontorio.

Novius. Fluvius Britanniæ. Ptolem. lib. 2. cap. 3.

Novum Comum, κῶμον, Galliæ Ciſalpinæ oppidum eſt ad Larium lacum ſitum: anteà Comum appellatũ, donec deductis eò à Divo Iulio quinque colonorum millibus auctius factum, Novum comum appellatum eſt, & oppidani Novocomenſes. Vide Strab. lib. 5.

N ante V.

Nubæ, νοῦβαι Stephano, Populi ſunt Libyæ, ad ſiniſtrum Nili flexum habitantes, in multa diviſi regna, teſte Strabone libro 17.

Nuceria, νουκερία. Vulgò *Nocera*. Civitas Campaniæ, cujus populi dicti ſunt Nucerini, & ager ipſe Nucerinus. Plin. lib. 3. cap. 5: Haud procul à mõte Veſuvio ager Nucerinus eſt: & novem M. paſſuum à mari ipſa Nuceria.

Nuditanum, Hiſpaniæ Bæticæ oppidum eſt, apud Plin. lib. 3. capite 1.

Numă Pompilius, νουμᾶς, Ex Curibus Sabinorum urbe ortus, ſecundus à Romulo Romanorum rex, juſtitia & pietate inſignis, qui pacatis finitimorũ odiis, quò truces, efferatosq; longa militia animos ad pacis artes traduceret, ad deorum cultum animum adjecit: primumq; ad infimũ Argiletum Iani templum cõdidit, quod apertum, bellum: clauſum, pacem indicaret. Deinde Dialem, Martialem, & Quirinalem Flamines creavit, Salios item duodecim Marti aſſignavit: virgines Veſtales ſacravit. Pontificem maximũ primus declaravit, dies faſtos, nefaſtosq; condidit: annum in duodecim menſes diviſit. Quæ omnia quò majore apud imperitam plebem in veneratione eſſent, ſimulavit ſibi cum Aegeria Nympha nocturnos congreſſus eſſe, ejusq; ſe monitu, quæ acceptiſſima diis eſſent, ſacra inſtituere. Poſtremò ubi maxima cum reverentia & ſuorum, & finitimorum creviſſet, quadragintaq; annis regnaſſet, diem ſuum obiit. Vide Liv. lib. 1. ab Vrbe condita.

Numana, Oppidum eſt Piceni, à Siculis conditum, teſte Plin. lib. 3. cap. 13.

Numantiă, νουμαντία, ἢ νομαντία Stephano: quibuſdam *Cæſar Auguſta*: aliis verò *Soria*, Celtiberorum inſignis fuit urbs: quæ quũ à Romanis fruſtrà obſeſſa fuiſſet per annos quatuordecim, tandẽ ab Africano cujus Paulus pater Perſea vicit, fame potiùs, quàm viribus eſt deleta. Quum enim fame laborarẽt, nec eis daretur juſti certaminis copia, omnia ſua, & ſeipſos igni concremarunt. Florus lib. 2.

Numantīnŭs, a, um, pen. prod. νουμαντῖνος, ἢ νομαντῖνος Stephano, Numantiæ incola. Quod etiam cognomen Scipionis Aemiliani fuit, qui Numantiam expugnavit.

Numatius Plancus, Nobilis fuit Romanus, Iulii Cæſaris temporibus, qui primus Lugdunum Coloniam deduxit. Ad hunc extant Ciceronis aliquot epiſtolæ, & Horatii carmen. Sunt qui ſcribant Munatius.

Numēnĭus, νουμήνιος, Meſenæ regionis (quæ mari rubro proxima eſt) ſub Antiocho præfectus, qui Perſas eodem die navali, & equeſtri certamine vicit geminaq; eodem in loco Iovi & Neptuno trophæa erexit. ❡ Fuit & Numenius Platonicæ ſectæ philoſophus, quem Origenes non dubitat cæteris omnibus philoſophis anteponere. Hũc ferunt, quum Platonis dogmata cũ Moſis myſteriis conferret, illud identidem aſſeruiſſe Platonem ſibi proſſus videri Moſen alterum, Attica eloquentia divinitatis arcana rimantem.

Numerius, νουμέριος. A' numero prænomen deductum eſt.

Nŭmeſtrānī, Populi Italiæ, in tractu Lucanorum, Vrſentinis, & Volſentanis proximi: quorum meminit Plinius libro 3, capite 11.

Nŭmīcĭŭs, Fluvius in Latio, in quo repertũ cadaver Aeneæ, & Anna ſoror Didûs ſeſe ſubmerſiſſe fertur. Hic poſtea decrevit, & in fontem redactus, qui & ipſe poſtea exiccatus eſt, ſacris Veſtæ (cui ex hoc fluvio modò libari fas erat) unà interceptis. Ovid. 3. Faſtor. Corniger hũc tumidis rapuiſſe Numicius undis Creditur. Virg. 7. Aen. -hæc fontis ſtagna Numici. Vbi Numici per apocopen dixit pro Numicii.

Nŭmĭdĭă. [νουμιδία. Vulgò *Il regno di Tunis*. Ger. *Das Königreich in Africa*.] Pars Africæ, inter Cæſarienſem Mauritaniam, & Carthaginienſem regionẽ, cujus populi à Latinis Numidæ, à Græcis *Nomades*, νομάδες, dicuntur, quaſi in paſcuis inter armenta degentes: ἀπὸ τῦ νέμειν, quod eſt paſcere. Erat enim eã gens rei pecuariæ in primis ſtudioſa, & ob id ad lætiora pabula cùm uſus requirebat, magalia ſua transferebat: quemadmodum & Hamaxobitæ, qui plauſtris domos ſuas circũferebant. Plin. lib. 5. cap. 3: Numidæ verò Nomades, à permutãdis pabulis, mapalia ſua: hoc eſt, domos plauſtris circumferentes. Hi à Virg. lib. 4. Aen. Infræni Numidæ appellãtur, quòd equos non fræno, quemadmodũ nos conſuevimus, ſed virgula duntaxat regerent.

Nŭmĭdĭcŭs, a, um, νουμιδικός ut Lapis Numidicus, qui inter generoſa marmora annumeratur. A' Papinio Libycus ſilex appellatur. Et pavimẽta Punica à veteribus dicebantur, quæ ex marmore Numidico ſtrata erant. Vide ſuprà NOMADES.

Nŭmĭdĭānæ pyra, A' patria nomen ſortita: quorum meminit Plin. lib. 11. cap. 15.

Nŭmĭtŏr, pen. corr. Filius Procæ Albanorum regis, & Amulii frater, Romuli & Remi avus maternus. Hic Rheam Sylviã filiam habuit, quam Amulius pulſo Numitore fratre Veſtalem virginem fecit, ne quando ſobolem haberet, quæ patruum ulciſceretur. Poſteà verò ſenex à Romulo & Remo nepotibus, occiſo Amulio, in regnũ reſtitutus eſt. Virg. li. 6. Aen. Et Capys & Numitor, & qui te nomine reddit Sylvius Aeneas, *&c.* Vide Livium, lib. 1. ab Vrbe.

Nuncoreus, Seſoſtridis filius, qui obeliſcum illum, qui nunc viſitur Romæ in Vaticano, curavit excidendum. Autor Plin. lib. 36. cap. 11.

Nūndĭnă, næ, Romanorum dea, à nono die naſcentium dicta, qui & Luſtricus dicitur. Erat autem Luſtricus dies, quo infantes luſtrabantur. Is autem erat in maſculis nonus, in puellis verò octavus. Vide Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 16.

Nŭpsĭă, νουψία, Oppidũ eſt ad Nilum fluvium, in tractu Syenitarum: cujus meminit Plin. lib. 6. cap. 29.

Nupsis, Oppidum eſt Arabiæ, Nomadibus proximũ: de quo Plin. lib. 6. cap. 100.

Nursĭă, Vrbs antiqua Sabinorum, ex qua Q. Sertorius, vir rei militaris ſcientiſſimus ortus eſt. Virg. 7. Aeneid. -quos frigida miſit Nurſia, & Hortinæ claſſes, populiq; Latini. Vbi Servius: Frigida Nurſia, vel quia re vera talis eſt: vel frigidã dixit: quaſi venenoſam, & nocentem. Gracchi nanq; ubiq; in concionibus ſuis Nurſinos ſceleratos appellavére. Scimus autem Virgilium amare hiſtoriarum rem per tranſitum tangere. Hæc ille. ❡ Hujus oppidi incolæ dicti ſunt Nurſini: quorum meminit Plin. lib. 3. cap. 12.

Nursīnŭs, a, um, adjectivum. Mart. lib. 13: Nurſinas poteris parcius eſſe pilas.

N ante Y.

Nyctĕlĭŭs, νυκτέλιος, Vnum eſt ex Bacchi cognominibus, tractum ab eo quòd nocturno tẽpore ejus ſacra celebrabantur, quæ Nyctelia, νυκτέλια, dicta ſunt.

Nycteus, per duas ſyllabas, νυκτεύς. Neptuni fuit filius ex Celæne Atlantis filia, quem ex Amalthea Cretenſi nympha Antiopum & Nyctimenem ſuſcepiſſe ferunt, ipſumq; ab hac poſteriore turpi amore adamatum cum eadem nutricis operã ignarum concubuiſſe: ſed ſcelere cognito Nyctimenem occidere voluit: illa verò fugiens, miſeratione Minervæ in avem ſui nominis verſa eſt, & in ipſius tutelam ſuſcepta eſt: νυκτικόραξ enim Græcis noctuam ſonat. Vide Ovid. lib. 2. Metam.

Nyctileia. [νυκτέλια. Ger. *Opffer ſo zu ehren Bacchi nachts gehalten worden.*] ſacrificia quæ Baccho fiebant, à nocturno tempore dicta. Vnde & Bacchus Nyctileus, νυκτέλιος, νυκτέλιε, vel Nyctelius dictus, quòd ejus ſacra noctu celebrarentur.

Nyctĭmĕnē, νυκτιμένη, Filia Nyctei, ex Amalthea Cretẽſi Nympha, quæ nefando patris ſui amore capta, opera nutricis cum illo concubuit: tandemq; agnita, quum pater eam vellet occidere, fuga ſe ſubduxit: imploratoq; Minervæ auxilio, transformata eſt in avem ſui nominis, quæ à Latinis Noctua dicitur. Græci etiam γλαῦκα appellant. quæ etiã nunc ſceleris ſui conſcia, lucem fugit, nec niſi noctu volat. Ovid. 2. Metam. An quæ per totam res eſt notiſſima Lesbon, Non audita tibi eſt, patrium temeraſſe cubile Nyctimenen? avis illa quidem, ſed cõſcia culpæ Conſpectum, lucemq; fugit, tenebriſq; pudorem Cælat, & à cunctis expellitur æthere toto.

Nyctorix, Babyloniorum regina, maximi animi mulier, & quæ ipſam Semiramidem ſolertia longè ſuperavit. Vide Herodot. libro 1, ubi tamen hæc non Nyctorix, ſed Nitorix appellatur.

Nymphæă, æ, νυμφαία. Inſula eſt juxta mare Adriaticum, in qua Calypſo dicitur habitaſſe. Gẽtile eſt Nymphæus, νυμφαῖος, Stephan.

Nymphæum. νύμφαιον Stephano, Oppidum eſt in Taurica regione, non procul à Boſphoro Cimmerio, juxta Panticapæum, & Theodoſiã: portum habẽs utiliſſimum, teſte Strabone lib. 7. & Plin. lib. 4. cap. 12. ❡ Eſt item Nymphæum, locus quidam in ea Macedoniæ parte quæ mare Adriaticũ ſpectat, non procul ab Apolloniatarum finibus, petram habens ignẽ vomentem, cui ſubſunt fontes, qui aqua tepida, bitumineq; ſcatent. Autor Strabo lib. 7.

Nymphæus, νυμφαῖος, Italiæ fluvius eſt juxta Velitras, non